

DE DISSOLUTIONE

CONTRACTI APUD BRUSOLUM FÆDERIS

COLUMBARIIS. — EX TYPIS PAULI BRODARD.

H. F. u. f. 80^a (181²/₄)

DE

DISSOLUTIONE

CONTRACTI APUD BRUSOLUM FŒDERIS

INTER HENRICUM IV ET CAROLUM EMMANUELEM I SABAUDIE DUCEM

(MDCX-MDCXII)

ANTE FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM

DISPUTABAT

BERTHOLD ZELLER

Scholæ normalis olim alumnus
ad doctoris gradum promovendus



PARISIIS

APUD BIBLIOPOLAS HACHETTE ET SOCIOS

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—
MDCCCLXXX

DISSOLUTION

CONTRACT WITH BENEDICT & COMPANY

(At New York City)

IN WITNESS WHEREOF, the said parties have hereunto set their hands and seals at New York City, this 1st day of January, 1881.

BENEDICT & COMPANY



WITNESSES
ALL BENEDICT & COMPANY'S AGENTS & ASSOCIATES

NOTARY

EMINENTI ET DOCTO VIRO

ALBERT DUMONT

GALLICARUM ROMÆ ET ATHENIS FLORENTIUM SCHOLARUM

QUONDAM PREFECTO

HOC GRATISSIMUM A PUERIS INCHOATÆ FAMILIARITATIS

ET REVERENTIE TESTIMONIUM

D. D. D.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

ALBERT DUMONT

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL.

1912

1912

INDEX OPERUM ET DOCUMENTORUM

SEU TYPIS MANDATORUM, SEU MANUSCRIPTORUM ADHUC QUIBUS
HÆC THESIS FULCITUR

Typis mandata.

- GUICHENON (Samuel). Histoire généalogique de la maison de Savoie. 1660, 2 vol. in-fol.
- PERRENS (F.-T.). Les mariages espagnols sous le règne de Henri IV et la régence de Marie de Médicis. 1 vol. in-8. Paris, Didier.
- SULLY. Sages et royales œconomies d'Estat (collection Michaud et Poujoulat.) Paris, Firmin Didot, 1857, 2 vol. in-4.
- GRIFFET. Histoire du règne de Louis XIII. A Paris, chez les libraires associés, MDCCLVIII.
- BAZIN (A.). Histoire de France sous Louis XIII. Paris, Chamerot, 1846.
- DE SAINT-GENIS. Histoire de la Savoie. Paris, Didier, 1866, 3 vol. in-12.
- SOLARO DELLA MARGERITA. Traités publics de la maison de Savoie. 4 vol. in-4. Turin, 1836.
- SIRI (Vittorio). Memorie recondite dell' anno 1601 sino a 1640. Rome et Paris, 1676-1679.
- DE FLASSAN. Histoire de la diplomatie française. Paris, 1811.
- RECUEIL DES LETTRES MISSIVES DE HENRI IV, publiées par Berger de Xivrey (Collection des documents inédits relatifs à l'histoire de France). Paris, Imprimerie nationale, 1858.
- BIANCHI (Nicomede). Le materie politiche relative all' estero degli archivi di stato Piemontesi. Roma, Torino, Firenze, MDCCCLXXVI.

RICOTTI (Ercole). Storia della monarchia piemontese. Firenze, Barbera, 4 vol. in-12, 1865.

BAROZZI et BERCHET. Relazioni degli ambasciatori veneti.

CARUTTI (Domenico). Storia della diplomazia della corte di Sava. 2 vol. in-8. Roma, Torino, Firenze, fratelli Bocca, 1876.

LOISELEUR (Jules). Ravallac et ses complices. Paris, Didier, 1873, 1 vol. in-12.

Adhuc manuscripta.

Lettere del S^r Cav^{re} Cioli scritte di Francia del di 4 giugno 1610 a tutto gennaio 1611. E tabulario medico, filza 4626.

Lettere dell' Ammirato, di Botti, di Cioli. Ibid., filza 4627.

Lettere dell' ambasciatore Matteo Botti al Seg^{rio} Vinta e al granduca. Ibid., filza 4624.

Lettere del Seg^{rio} Scipione Ammirato. Ibid., filza 4622.

Lettere dell' ambasciatore Antonio Foscarini. E tabulario veneto. SENATO. SECRETA n° 41 et sqq.

Varia documenta in Sabaudia domûs tabulario apud Taurasiam recondita, et Lutetiae in magnâ gentis gallicae bibliothecâ.

PRÆFATIO

Propositum est nobis in hoc opusculo inquirere quo modo, Maria Medicea regni tutelam gerente, derelicta fuerint fœderis consilia quæ, paulo ante Henrici IV mortem, inter Galliæ regem et Sabaudia ducem Carolum Emmanuelem I convenerant. Quæ fuerint autem illa ipsa conventa nobis breviter memorandum est.

Carolus Emmanuel I Henrico IV hostis importunus et idem malefidus amicus fuerat. Post Vervinii fœdus (MDXCVIII) arma iterum adversus Galliæ regem susceperat cui quidem lugdunensi fœdere Sebusianorum et Ambarrorum regionem, accepto in vicem Saluciarum marchiati, concedere coactus erat an. MDC. Carolus Emmanuel, sequentis pacis occasione usus, Bironi marescalco scelerata adversus regem consilia agenti favit. Sed postquam marescalcus atrocissimi sceleris pœnas gravissimas dedit, pax domestica tandem in Galliæ regno floruit.

Tunc demum Henricus IV ad externa spectare cœpit

ut Galliam adversus utramque austriacæ gentis stirpem tutam securamque efficeret. Illud enim revera meditatus est quum hæc suscepit quæ apud rerum scriptores « magnum consilium » vocantur. Et certe ut Gallia omnino secunda videretur, necesse in primis erat imperium Hispanorum radicitus quum e Belgarum regione tum ex Italia evelli. Ad ipsam Italiam liberandam Galliæ rex inire fœdus ac diuturnam societatem pacisci cum duce sabauda statuit ut jam iste ab Hispanis deflecteret quibuscum sive sanguinis affinitate, sive metu, quippe quum eos nimium sibi vicinos in mediolanensi ducatu haberet, sive denique pecunia qua eum et filios sibi obligaverant, conjunctus erat. Ab anno igitur MDCV consilia hujusmodi Galliæ rex cum duce sabauda aggressus est. Cui enim Sebusianos et Ambarros restitutum iri pollicitus est, dummodo neutro inclinaret, si forte bellum inter Galliam et Hispaniam oriretur. Mox etiam eundem amplioribus promissis allexit quippe cui filiam suam Elisabettam et Lombardiam in Sabaudia vicem obtulerit, dummodo dux arma adversus Hispaniam susciperet. Simul junioribus Sabaudi filiis opulenta stipendia et ditissimas in Gallia possessiones ostendit, ut eos blandientibus Hispanis ereptos sibi ipsi conciliaret.

Carolus Emmanuel, qui et ipse se ab Hispanorum tutela ac dominatione vindicare cupiebat et qui, ab anno MDCV, huc attentissima cura spectare videbatur facilem his propositis aurem accommodavit. Quum autem non omnino

ex arbitrio Galliae regis pendere vellet, jungendam curavit societatem inter omnes Italiae civitates ac populos qui Hispanorum jugo collum subtrahere ardebant. Illa autem, romana curia et mantuano duce adversantibus, parum feliciter processit.

Quod ad Hispaniam attinet, eo ipso tempore, regem Galliae verbis adorta erat de matrimoniis inter utriusque populi principes efficiendis. Ad quod officium Petrus Toletanus Fontem bellaqueum missus erat. Erat autem adeo stultus orator¹ ut vel solus obfuisset negotio etiam si non repugnantem Henricum IV invenisset. Dux tamen sabaudus, ut cui legatio ista displiceret, quam citissime oratorem Jacobum misit jam antea propter Verviniense foedus missum, qui de constituenda inter Galliae regem et Sabaudiam amicitia ageret. Henricus IV autem incertis tantum verbis respondit antequam propter Cliviae haereditatem universa fere Europa discordaret. Tum Henricus IV Sabaudis nuntiavit natam agendi occasionem. Rebus autem tractandis gallum quemdam principem eundemque Carolo Emmanueli affinem Henricum Nemorosii ducem praefecit et simul e regis consiliis unum Bullionem, quem omni parte instructum et scriptis etiam mandatis munitum dimisit².

A. d. II kal. dec. MDCIX, sponsio matrimonii inter

1. Vide opus nostrum, *Henri IV et Marie de Médicis*. Paris. Didier, 1877. Cap. XIV.

2. Vide appendices I, II.

Galliæ regis filiam et Sabaudiaë principem Victorem Amadeum scripta; et id. jan. MDCX societas, quibusdam jam conventis inter Galliam et Sabaudiam, inchoata est.

Denique, spretis Hispaniæ minis, quæ in dies de actis rebus certior fiebat, dux Sabaudiaë, gravissimo apud Rivolium habito colloquio cum Diguierio marescalco et Bullione legato, de proposito fœdere tractavit. Postulavit Diguierius ut, quum Carolo Emmanueli displiceret univsum Sabaudiaë ducatum Gallis concedere, Henrico IV saltem liceret in Monmeliano et Pinerolo oppidis custodias habere. Hoc vero Carolus Emmanuel non tulit et aliud in scripto fœdere collocatum est ad regi Galliæ satisfaciendum.

Brusoli igitur prope Segusionem a. d. vi kal. maias MDCX duo fœdera scripta sunt quibus Gallia et Sabaudia amicissimâ societate in futuro adversus Hispaniam bello jungebantur.

Altero convenerat Galliæ regem et Sabaudiaë ducem, ut arctiore amicitiaë ac bonæ vicinitatis vinculo tenerentur, præsertim quum desponsa esset domina Elisabetta, Galliæ regis primogenita, principi Sabaudiaë Victori Amadeo, mutuam inire societatem qua sive se invicem defenderent, sive communem hostem aggredierentur. Hoc autem inter Galliæ regem et ducem Sabaudiaë fœdus non modo utroque vivo sed etiam sex annos post mortuos successores observandum; advo-

candos simul ad ineundam societatem principes civitatesque quibus cordi esset et christianarum gentium, et ipsius ecclesiæ et in primis Italiæ libertas, cui Hispania, dominationis cupidissima, insidiaretur; arma intra brevissimum tempus sociis suscipienda adversus catholicum regem et subditas illi regiones, qualescumque essent, et præsertim mediolanensem ducatum; denique neutri sociorum populorum concedendum ut pacem aut inducias alter altero negante acciperet.

Altero fœdere præscribebatur copiarum numerus quæ arma adversus Hispanos caperent et quibus una Diguierius marescalcus et dux Sabaudix præficerentur. Simul ad pensandam mediolanensis ducatus accessionem, quippe quum ea provincia Sabaudix duci destinaretur, decretum erat, urbe castelloque mediolanensi semel a duce occupatis, mœnia oppidi Monmeliani solo æquanda esse; in præsens committendas Gallix regi et in manus tradendas Valentiam et Alexandriam, hispanas tunc civitates, aut in earum locum duas alias ejusdem amplitudinis urbes; a. d. iv kal. jul. scribendam esse authenticam matrimonii inter Victorem Amadeum et Elisabettam pactionem.

Omnia præterea quæ de Italia in mente sua reputabat, Gallix rex in familiaribus sermonibus non semel amplificaverat. Nuntiavit igitur senatui venetianus orator Antonius Foscarius: « Omnia certissime a rege et duce composita esse; christianissimam enim majestatem scrip-

tura pollicitam esse se, quum belgarum regionum Albertus archidux, transitu in Germaniam concessus, fugitivam Condæi principis conjugem restituisset et Leopoldo archiduci, Argentorati et Passaviæ episcopo jamque Juliaeum ingresso assistere desiisset, tunc sublata omni belli causa, cum totis viribus ultra Alpes prorupturam, ut Hispanos non de Mediolano tantum sed de universa ista provincia expelleret; neque enim satis valere ad Hispaniam lacesendam Angliæ et Danimarceæ diversionem auxiliaque. » Quapropter, his legibus, tanquam communis belli spolia, Italiæ regiones quæ Hispanorum jugo eriperentur, inter socios dividendas Galliæ rex et Sabaudia dux constituerant ¹.

Agendæ rei jam via patefacta erat vivente Henrico IV. Carolus enim dux Guisæ, Provinciæ præfectus, a rege jussus erat Italiæ maritimas oras explorare; quod quidem effecerat, simulatæ piratarum insectationis causa. Ita Genuæ, Barcinonis aliorumque oppidorum situm et munimenta descripserat, seque certissime eas urbes capturum asseverabat ².

Hæc erant conventa, decreta et inchoata quæ Henrico IV placuerant; statuerat enim Italiam jam liberam nec ullius arbitrio permissam reddere, vindicatamque ab illa tutela, quam abhinc centum annis patiebatur, ut quasi sub clypeo gentilis ac domestici Lombardiæ regni ageret.

1. Ex epist. venet. leg. iv non. jun., MDCX.

2. Ex epist. venet. leg. a. d. iv id. jul., an. MDCX.

Henricus IV, dimisso cum ferocioribus verbis ¹ Hispaniæ legato, in eo erat ut semetipsum gallico exercitui adversus Cliviam armato præficeret a. d. xi kal. jun., dum Diguierius marescalcus e Delfinatu in Sabaudia fines progrediretur quum ad. id. maias perfossus occubuit.

Vix autem duobus annis et sex mensibus elapsis nihil jam ex consiliis supererat a magno rege, quum ad collocandos pueros, tum ad liberandam Italiam susceptis. Gallia enim rex et primogenita ejus soror cum principibus hispanis gemino matrimonio conjuncti erant, et dux Sabaudia hostiles ut antea spiritus adversus Galliam gerebat.

Quali autem animo fuerint Gallia invicem et Sabaudia his annis MDCX-MDCXII nobis enarrare propositum est. Perrens noster, in doctissimo de matrimoniis hispanis libro, rebus inprimis, ut par erat, studuit inter Hispaniam et Galliam agitatis. Nos vero, evolutis omnibus qui de hac quæstione scripti sunt, libris, hæc planius explicanda curavimus quæ inter Galliam et Sabaudiam acta sint, instructi documentis quæ in Taurasia, Venetia et Florentia necnon Lutetia tabulariis reconduntur.

Ad hoc igitur usi sumus permultis venetiani legati Foscarini epistolis quas Guilelmus Berchet in opere suo omiserat, et præsertim oratorum florentinorum relationibus in aula gallica apud Mariam Mediceam agentium : marchionis nempe Bottii cui præsertim cura de conficiendis

1. Vide appendicem III.

cum Hispania matrimoniis commissa fuerat; Andræi Ciolii legati extra ordinem ut consolatorio officio propter Henrici IV mortem fungeretur et denique accuratissimi ejusdem et sapientissimi viri Scipionis Ammirati secretarii. Per hos enim quotidianæ vitæ testes, et consiliorum conscios, quid senserit Maria Medicea pernosceamus, et quibus de causis eam agendi rationem erga ducem Sabaudiaë habuerit; quomodo denique utilissimam societatem, neglectis quum regni, tum ipsius Galliaë commodis, et spreta ad extremum magni Henrici memoria, fregerit ¹.

1. Vide in tabulario Sabaudiaë domus Taurasiaë: *Lettere del duca al conte Chabo Jacob di San Maurizio*, 1608-1612, CARTEGGIO DIPLOMATICO. FRANCIA. — *Domande del duca di Savoia al re di Francia per entrare nella futura lega contro gli Spagnoli* (1609). — *Nuove proposte del duca, risposte e sentimenti manifestatigli dalla corte di Francia per una lega contro la Spagna e per l'acquisto del Milanese* 1609. — *Preliminari del trattato di Brusolo del 25 aprile 1610*. — *Pratiche di matrimonio della primogenita del Re di Francia col principe di Piemonte* (1609). CATEGORIA NEGOZIAZIONI. — Vide nonnullas Jacobi epistolas apud Vittorio Siri. *Memorie recondite*. — Haud reperiuntur in hoc tabulario fœdera duo apud Brusolum inter regem et ducem contracta; typis vero mandata sunt in eo libro cui titulus præscribitur: *Traité publics de la maison de Savoie*.

DE DISSOLUTIONE

CONTRACTI APUD BRUSOLUM FÆDERIS

CAPUT I

ARGUMENTUM. — Trucidato Henrico IV, Mariæ Medicæ erga Sabaudiam studia promptiora quam fuerunt postea apparent. — Bottius, a Toscana extra ordinem legatus, reginæ animum ad Hispaniæ partes flectere aggreditur. — Optimatum et principum factionibus mutantur Mariæ Medicæ consilia. — Unam filiarum suarum in Sabaudia, aliam in Hispania nubere posse credit regina. — Hispanica vero curia absolutam eversio-nem matrimonii a Sabauda duce ambitu appetit. — Conve-niunt Hispaniæ rex et Galliæ regina offerendam esse Sabau-diæ ducis filio unam ex magni Toscaniæ ducis sororibus. — Querenti duci respondetur, haud præsentis temporis effici posse ejus filii cum regia virgine matrimonium. — Reginæ persuadetur principes cum Hispanis clandestina colloquia, regni turbandi causa, adortos esse. — Exinde matrimonia cum hispanis principibus peragenda certissime statuit regina.

MDCX.

Vulgo creditur, occiso Henrico IV, omnia ab illo des-tinata subito ac radicitus in consiliis Mariæ Medicæ mutata fuisse; quod tamen non omnino verum est, in iis præcipue quæ spectant Galliæ defuncti regis inita erga Sabaudiam consilia.

Primis enim regiæ tutelæ diebus Bonæ Diguierio ma-rescalco mandatum est ut exercitum suum, scilicet octo

millia peditum paratum atque instructum in Delfinatus confinibus teneret¹; Sabaudiae autem dux quatuor millia hominum insuper expoposcit quos copiis suis adjunctos Fontano duci, hispano Mediolani praefecto tunc bellum ostentanti et jamdudum Gallis infensissimo hosti opponeret. Viriliter et magnanime regina declaravit « se Sabaudiae duci, si quis bellum inferret, praesidio adfuturam. » Non dubium est hoc tempore Mariae Mediceae erga Sabaudiae ducem studia promptiora quam postea fuerunt apparuisse². Matrimonium enim ab Henrico IV destinatum perficere atque absolvere cogitabat, quippe quum a supremis mariti consiliis non auderet adhuc abhorreere. Abhorrebant autem qui sive propriis sive alienis commodis inservientes, sperabant a regina matrimonia illa cum principibus hispanis praelatum iri a quibus Henrici IV animum quum Petri Toletani legati insolentia et stultitia, tum ipsa Galliae utilitas anno MDCIX averterat³. Bottius, Campiliae marchio, qui apud gallicam aulam, Toscaniae extra ordinem legatus, Galliam et Hispaniam per nuptias conjungendi officium jam ab aliquo tempore susceperat, timuit ne irritum caderet negotium et nutantem reginae animum seu facietis seu perfidis dictis in contrarium inclinare aggressus est. Ergo acriter sollicitabat Mariam ut responsum illarum nuptiarum petitioni faceret; quumque audiisset in quaedam conciliabula admissum fuisse cum Sillerio cancellario,

1. Ex epist. florent. leg. Ciolii, vi kal. jul. an. MDCX.

2. Ex epist. venet. leg. viii id. jul. MDCX. — Vide appendicem V.

3. Vid. opus nostrum: *Henri IV et Marie de Médicis*. Paris, Didier, 1877, c. XIV.

Jousa cardinali et præsidente Jannino Bullionem e regis consiliis unum, ab Henrico nuperrime in Sabaudiam missum, reginæ significavit jam a Mediolano nuntiatum fuisse eam ipsam ad alias nuptias cum Sabauda migraturam. Cui cum risu respondit Maria « pessimam eam fore reginæ Galliæ mutationem neque se vel cum Hispaniæ rege, si liceret, iterum nupturam esse ¹. »

Paulo post idem Bottius, acceptis ab Hispaniæ reginæ Margaritæ litteris, Mariam interrogabat an audiisset Sabaudiae ducem dictitare sibi a veracissimo astrologo nuntiatum fuisse brevi regem moriturum seque reginæ Galliæ maritum et regni administratorem evasurum; quod pariter regina in ludibrium vertit ².

Nec jam ejus consilia Hispanis favere videbantur; quorum partibus ardentem ambo sanctæ sedis apostolicæ nuntii Ubaldinus et extra ordinem missus Nazarethi episcopus studebant. Hi tamen quum rogarent uti gallica curia auxilium adversus Juliaci Cliviæque oppressores destinatum intra regni fines contineret, Sabaudiaeque patrocinium repudiaret, responsum acceperunt « hoc bellum non religionis sed publicæ utilitatis causa suscipi. »

Haud generoso minus animo erga illos sese ostendit qui primas in regis secretis partes tenebat Neovilla Villaregiæ dux, acceptissimus Henrici IV minister. Quum enim ei dixissent nuntii consilia tunc a rege Ludovico XIII audita pessima esse, respondit senex animum

1. Ex epist. florent. leg. Bottii xiii kal. jul. MDCX. Vide append. IV.

2. Ex epist. florent. leg. Bottii x kal. jul. MDCX.

simul ac vocem attollens : « Dicitur de matrimoniis inter Galliae et Hispaniae principes verba fieri uti nos indor-
miamus; pro certo nihilominus ducatis id reginae non
fore gratum et quasi vanam pecuniae jacturam haberi¹. »

Quomodo tam repentina rerum mutatio facta sit ut,
paucis post mensibus, cum Sabaudia renuntiaretur, at
contra cum Hispania fere jam concluderetur matrimo-
nium, inquirendum est. Nobis videtur manifestum opti-
mum et principum machinationibus et factionibus
alio conversas esse Mariae Mediceae et eorum qui secretis-
simis ejus consiliis interessent, sententias : « Reginae,
scribit Bottius, tanquam de caelo demissa vox habita est,
fides illa ab hispano legato Innico de Cardena jurata,
Philippum III eadem esse mente qua vivente Henrico IV,
quod ad matrimonia attineret. » Dicebat idem a. d. IV
id. jul. cupidam esse reginam illius constituendae con-
junctionis ex qua pendere suam ipsius securitatem et
jam frenum multorum insolentiae imponi posse arbitra-
retur². Foedus enim quoddam per litteras Nanceii factum
inter Condæum et consobrinum Contium domusque Lo-
tharingiae principes, Nivernium, Nemorosium, Sullium,
Bullioniumque duces, nec non marescalcum Diguierium,
ut pecunias, provincias, et magnam reipublicae gerendae

1. Ex epist. venet. leg. xiv kal. jul. MDCX. — Cf. Sully, *Économies royales*, c. CCVII.

2. Hoc ab ipso Sullio confirmatur ea Mariae reginae verba referente :
« M. de Sully, nous sommes ici pour parler des affaires de M. de
Savoye; mais il y a d'autres affaires autant ou plus importantes que
celles-là, où il est besoin de pourvoir; car vous voyez les brouilleries
qui se preparent dans cet Estat par la plupart des grands du royaume,
que vous m'avez dit vous-même avoir des ambitions et cupidités des-
régées. » (c. CCVI.) — Vide appendicem IV.

partem acciperent, perterrita a Bottio denuntiabatur. Non apparet autem eam principum pactionem alias quam in mente Bottii extitisse. Ita enim censuerunt illius collegæ Ammiratus et Ciolius in suis ad Toscaniæ principem litteris. Inde timor Mariæ Mediceæ animo incussus multum tamen valuit ut reginam a Sabaudis deterreret. Ita factum est ut, quum princeps Condæus, qui Mediolani cum hispanis centurionibus Henrici mortem propinaverat ¹, in Galliam rediret, Maria Medicea, quo tutior ab isto fieret, ad hispanum regem confugerit; Condæus vero ab Hispanorum partibus inde deflectitur.

A Sabaudia tamen omnino deficere nondum cogitabat Galliæ regina : unam enim filiarum suarum in Sabaudia, aliam in Hispania nubere posse ducebat, externa auxilia, si opus esset, ultra Alpes haud secus ac Pyreneum montem circumspiciens; adeo fluctuabat animo ut papæ nuntius orationem de matrimonio cum principibus hispanis aggressus, non jam satis certam reginæ voluntatem perspexerit ². Ceterum Hispaniæ rex dabat operam ne longius res progrediretur, quo facilius ipse recedere posset. Quapropter agendum negotium Bottio levissimo homini nimioque sui admiratori commiserat. Cogitabat enim ille totum negotium in seipso positum esse; sed regi quidquid per ministrum istum fieret infirmari, si res vellet, licebat; Bottio enim tanquam exploratore utebatur, eum incitabat et epistolis hortabatur Philippus. Sed regius orator, Innicius de Car-

1. Ex epist. venet. leg. xiv kal. jul. MDCX.

2. Ex epist. venet. leg. viii kal. jul. MDCX.

dena multo majorem quam Bottius in eodem negotio modestiam adhibebat.

His artibus reginam eo magis, uti mulieres solent, rei cupidam, quod ostentata subtrahi viderentur, allicere voluerant Hispani. Tum sibi proposuerunt non modo destinatum ab Henrico IV cum Sabaudia matrimonium, sed contractum etiam fœdus dissolvere. A. d. IV id. Aug. Petrus Comparinus nuntius ad Campiliæ marchionem rediens cum hispanæ curiæ litteris declarabat Philippum regem eo esse animo ut libenter uxorem pro filio suo Asturiæ principe Elisabettam primogenitam Galliæ reginæ acciperet et in vicem primogenitam suam Annam Ludovico regi daret. Gradu eo jam via ad absolutam eversionem matrimonii a sabaudo duce ambitu aperiabatur, quippe quum ejus filio jampridem destinata primogenita auferretur. Nec satis; subiciebantur enim eæ matrimonii conditiones observandæ pactioni cuidam de componendis Juliaci rebus, cujus ad mœnia gallicus exercitus, duce marescalco Castreo, jam pervenerat ¹.

Paulo post quidem arx Juliaci occupata est, a. d. III non. sept. MDCX a sociis sub imperio Mauriti principis ². « ducis generalis civitatum principumque ad hæreditatem successionemque Cliviæ fœderatorum. » Sed gallicæ copię subito revocatæ sunt iisque tuto transire fines archiducis Alberti, facta per publicum fœdus potestate, concessum est. Postquam paucissimos ita milites osten-

1. Ex epist. venet. leg. in non. sept. MDCX.

2. Filius erat Guilelmi, Batavorum ducis an. MDLXXXIV trucidati; ipse Batavis ab anno MDLXXXVI imperabat.

tationis causa exhibuit, se jam satis memoriae mariti solvisse Maria Medicea reputavit. Exinde ejus consilia multo propensius in Hispaniæ commoda inclinare et a Sabaudi partibus deflectere visa sunt. Mediolani enim præfecto Fontano defuncto, ferocissimo homine, qui vindicandum nomen hispanum a sabaudo duce contemptum susceperat, hanc magis etiam conciliandorum sibi Hispanorum occasionem arripuit et marescalecum Diguierium jussit arma ponere. Omnia mutata contrariaque de proposito antea matrimonio tunc Sabaudus audiebat; nec mirum ¹; non jam enim inscripta tabulis, sed in colloquio inter reginam et hispanum oratorem pactio inchoata est, iis nempe stipulationibus ut Maria Medicea matrimonium filii sui cum Hispani puella regia minore comprobaret et insuper expresse ambæ consentirent partes ut neutrum regnorum per connubia Sabaudiae jungeretur. Ita gravissima contracti apud Brusolum fœderis conditio jam frangebatur. Quo promisso, pollicebatur Hispaniæ rex a quo in gratiam recipi jam tentabat Carolus Emmanuel se ultro operam adhibiturum ut Sabaudiae dux connubium ipsius filio destinatum omitteret, ne turbaretur perfectissima ea, quam inter utrumque regnum conclusam et stabilitam vellent, conjunctio. In hujus vicem sponsionis offerendam esse Sabaudiae ducis filio unam ex magni Toscaniæ ducis Cosimi II sororibus, conveniebant ².

Haud sane imperite hanc novissimam sponsionem

1. Ex epist. florent. leg. Bottii, iv id. aug. MDCX.

2. Ex epist. florent. leg. Bottii, iv kal. sept. MDCX.

produxerant Hispani. Scitur enim quam acriter Maria Medicea Florentiam patriam suam mediceamque domum coleret et quam vivida pro natis suis exarderet ambitione. Quod si nuberet una ex consanguineis ejus cum Sabaudo, plus valerent in Italiâ Medicei principes reginæque filia liberior ad ampliorem conjugii gradum evaderet. Hæc vero mutatio duci imponenda non sine labore videbatur. Ad ducem igitur ille Bullio missus fuit cujus opera ultima inter Sabaudum et Henricum IV ab ipso conventa, nunc, mutatis rebus, paulatim dissolverentur¹.

Illi enim mandatum fuerat Sabaudia ducem admonere : eam esse Gallia conditionem ut societas nuper inita nondum iisdem conditionibus servari posset; non licere enim reginæ agmen paratum instructumque diutius tenere; quapropter non ultra mensem julium Sabaudum subsidium concedi posse; nihilominus Bonæ Diguierio jussum duci vel cum armis assistere si opus esset; hoc vero minime verisimile, quippe quum ab Hispanis Sabaudia amicitia appeteretur; de matrimonio non jam tempus opportunum videri ut concluderetur; ideo Mariae Mediceæ gratissimum fore, si, mutato animo et ad Hispaniam converso, unam ex Philippi III filiis impetraret. Eodem tempore, Nemorosii duci per epistolam ipsius reginæ mandatum in eâ novâ legatione Bullioni favere².

Quæ quum meditaretur gallica curia, Carolus Emmanuel qui, a morte Henrici IV, se regni gallici studiosum

1. Vid. in tabulario Sab. dom. Aug. Taur. *Istruzione al Bullion*, 30 giugno 1610, *NEGOZIAZIONI. FRANCIA* mazzo VII, 40.

2. Vide appendicem VI.

adjutorem praeberat et Henrici caedis ultionem a Parlamento parisiaco expoposcerat ¹, per Trullium oratoris sui Jacobi secretarium ad reginam Galliae reversum ea mandavit : « Se majestates ambas devotionis suae ac fidei certiores fieri velle et, si opus esset, ad primum nutum cum totis viribus adfuturum; sibi maximo decori esse voluntatem a regina de matrimonio concludendo expressam. » His querimonias de armis a Diguierio positae addere jussus erat Trullius ². Eodem tempore Brevius orator regius apud sanctam sedem scribebat : « Hoc maxime punctum esse Sabaudiae ducis animum quod defecissent rex et regina Galliae tempore quo Mediolani ducatus militibus redundaret jam paratis ad regiones quae in ditione Caroli Emmanuelis essent invadendas. »

Ita a duce Lermæ, primo Philippi regis ministro, offensionibus inter Galliae reginam et Sabaudum excitatis ³, dubitavit tamen hispana curia planius de matrimoniis cum suis principibus tractare. Ita enim magis ex arbitrio suo pendere utramque aulam existimabat. Quapropter dux Feriae, qui sero missus erat ut consolatorio officio apud Mariam Mediceam de morte regis Henrici funge-

1. Ex tabul. Sab. dom. Aug. Taur : *Istruzione del duca al suo ambasciatore straordinario in Francia per condolarsi della morte del re Enrico IV* (7 giugno 1610). CERIMONIALE. — *Dichiarazioni del Duca Carlo Emanuele al Parlamento di voler trattar vendetta dell' assassinio del re*. NEGOZIAZIONI. FRANCIA.

2. Ex epist. venet. leg. non. sept. MDCX.

3. Ex tabul. Sab. dom. : *Ricevimento fatto alla corte di Francia al signor Jacob speditovi per coltivare il progetto di matrimonio del principe di Piemonte colla primogenita di Francia* (19 settembre 1610). CERIMONIALE.

retur, nihilo apertius quam collega Innicus de Cardena maximum hoc a Bottio nominatum negotium tractavit. Ita enim de his scribit orator venetianus : « Clam pergunt verba fieri de matrimoniis gallicorum principum cum hispanis ; sed usque ad hunc diem nihil explicatius professus est dux Feriæ. Tempus enim terit dicendo se ab Hispania nuntium cum mandatis de præfato negotio expectare. Veram autem silendi causam habemus eum nolle hanc regiam puellam poscere priusquam rumpantur desponsæ sabaudo principi nuptiæ ; in hoc æstuat atque laborat, disparitatem verbis jactans inter Hispaniæ magnitudinem et Sabaudiaë exiguitatem. Has, pro sua parte, rationes corroborant anglici oratores ; eodem enim tendunt, utpote virginis ejusdem pro principe suo obtinendæ cupidi ¹. »

Haud mirum est, quum ita se res haberet, Sabaudiaë oratori ordinario, Jacobo in Galliam redeunti ² præscriptam fuisse accuratissimam consiliorum a duce Feriæ susceptorum indagationem. Non aliter se gerebat anglicus orator Watto. Contracta enim inter Galliam et Hispaniam societate, incassum recidebat cum magna Britannia initum ab Henrico IV foedus. Sed suos sensus callidissime tegebat dux Feriæ. Bottius ipse, nullis ab Hispaniæ rege acceptis nuntiis et impenetrabili illius oratoris silentio deturbatus, ad Philippum regem scripsit « expedire a sacra ejus majestate negotium eo reponi quo,

1. Ex epist. venet. leg. prid. non. oct. MDCX. Vide append. VII.

2. Jacobi filius, *Chabo de La Dragonnière*, missus erat, absente patre, ut consolatorum officium de morte Henrici IV apud viduam reginam perageret.

vivente Henrico IV gloriosæ memoriæ collocatum esset, ut suas alio vertere cogitationes posset ¹. »

A simili rerum eventu haud sane abhorruisset Maria Medicea, si minus obcæcatis et honestioribus indulsisset consiliis. Quid enim indignius et quod magis inchoatæ recentius amicitiae testimoniis repugnaret? Facta enim Ludovici regis apud Remos consecratione a. d. viii kal. nov., neuter oratorum tunc pro rege Hispaniæ in gallica aula versatorum, his adfuit solennibus. Imo tunc Sabaudiam invadendam meditabantur Hispani; nam ad Mediolani ducatus fines contrahebantur copiæ, eo ipso tempore quo marescalcus Bona Diguierius destinatas opes ad auxilium Sabaudis ferendum invitus imminuebat. Quanto generoso minus ac demissiore animo quam vivente rege Henrico res publica geri videbatur! Mariæ Mediceæ erga socium inconstantia in quamdam prodicionem amicitiarum, sine ulla mercede, nequaquam proficiente de matrimoniis negotio, cesserat. Visa est demum regina sentire quantam contumeliam et quasi maculam sibi hac agendi ratione uteret. Itaque quum reducem a regia consecratione in longo colloquio eam Bottius persuadere tentaret ut natu majorem filiam hispano principi concederet et secundo genitam Philippi regis pro filio, in Italia vitandi belli causa, acciperet, commutatos reginæ animos pervidit. Recusavit ne hujusmodi pactioni assentiretur. Itaque dux Feriæ Mariæ Mediceæ a. d. III kal. nov. infectis rebus valedixit.

Qui nuperrime de his disseruit italicus historiæ scrip-

1. Ex epist. florent. leg. Bottii, idibus oct. MDCX.

tor Ricottius nobis videtur hanc animi Mariæ Mediceæ fluctuationem pro nihilo duxisse seque adversus reginam severiorem ostendisse quum eam matrimoniis cum hispanis a tutelæ regiæ principio sine ullâ dubitatione et constantissime adhæsisse contendit. Manifestum est haud ita se rem habuisse; sane italicus ille scriptor ea quæ merito Mariæ Mediceæ crimini verti possunt ita auxit, quo facilius absolveretur Sabaudia dux, qui jam ad id unum spectabat ut veniam ab hispanicâ aula impetraret.

Quæ quum dubia essent, quid sibi expectandum foret certissime explorare statuit Carolus Emmanuel. Obnixè igitur a Gallia regina petiit Jacobus ut matrimonium cum sabauda principe decretum publice promulgaret. Respondit Maria Medicea se ad Sabaudia duci in omni re, vel de matrimonio, satisfaciendum paratam esse. Omnes eos quos in consilium adhibere solebat regina circumiit Jacobus et admonuit non posse ducem tot et tantis impensis, in præsentis suo statu, vel intra exiguum temporis spatium manere. Quod si patrocinium Gallia et ei simul optatum filii matrimonium non confirmarentur, tunc nihil sabauda duci superesse nisi ut in Philippi regis sinum confugeret. Addidit Romæ hispanum oratorem Franciscum de Castro versari cum sabauda legato recusavisse; nihilominus tamen aliam viam a duce inventam esse, conciliationis causa, qua feliciter succedente, per necessitatem Sabaudia dux Hispanus evaderet; matrimonio autem promulgato, Hispanos multa de his quæ tanta superbia prætenderent remissuros. Præ-

terea contendit Jacobus se, rogante regina, in Galliam venisse ut terminaretur divulgareturque negotium, semperque a regina dictum fuisse sibi fidem ab Henrico IV datam obsignatamque observandam videri. Respondit Villaregius ei quidem ducenda esse omnia quasi conclusa, haud tamen præsentī tempore effici posse, tene-riorem adhuc ætatem agente regia virgine, matrimonium. Tunc duas in partes divisum est regium consistorium. Villaregius et cancellarius adversus Sabaudi matrimo-nium obnitebantur; at contra Condæus et Contius prin-cipes, Suessionum comes, Jousa cardinalis et Momoran-sius constabulus asseverabant non posse connubium illud non confici. Pro sua parte significavit Jacobus se profec-turum esse, nisi statim cederet matrimonii promulgatio.

Notandum est quæ veteres Henrici IV ministri con-silia desererent eadem principem Condæum infensis-simum quanquam defuncti regis inimicum, seu patriæ, seu propriæ utilitati inservientem secutum esse. Illius ut auctoritatem frangerent, hispanus orator et Bottius terrorem animo Mariæ Mediceæ incutiendum censue-runt. Reginæ igitur subdole persuaserunt principem, qui eodem tempore trium ordinum convocationem et sibi magnas pecunias provinciasque expeteret, cum His-panis clandestina colloquia, regni turbandi causa, ador-tum esse. Famosus ille Concinus qui plurimum gratia apud Mariam Mediceam valebat ea Ciolio extra ordinem Toscaniæ legato patefecit, hæc professus a Cardena et Bottio inventa artificia, unde argumentum sumerent magnopere reginæ interesse connubii fœdus cum his-

pano rege non detrectari. Quod ad se pertineret, pollicebatur Concinus nullo modo se matrimonio illi adversaturum, quo multo melius quam tribus convocatis ordinibus restitutum iri reginæ potestatem existimaret¹. Affirmat Bottius exinde omnem ex animo Mariæ Mediceæ sublatam esse dubitationem et matrimonia cum hispanis principibus peragenda eam certissime stauituisse. Ita domesticus principum timor firmissimum societatis cum externis vinculum.

1. Ex epist. florent. leg. Ciolii, iv id. déc. MDCX. Vide append. VIII et IX.

CAPUT II

ARGUMENTUM. — Principibus consilia sua de matrimoniis communicat regina. — Quæ quidem his haud placent. — Matrimoniorum declaratio post generalem hæreticorum conventum hoc anno indictum profertur. — Sabaudie dux, via querelarum relictæ, ad iram et comminationem transit. — Illius copię Genevam armis appetunt. — Irascitur Maria Medicea. — Non abest suspicio Sabaudie ducem et Mediolani præfectum inter se consentire in incepta adversus Genevam incursione. — Diguierio marescalco mandatur exercitum suum promptum expeditumque tenere, Genevam, si opus sit, intromittendum. — Profligantur Sabaudi ducis copię ad Gresini pontem. — Varena mittitur ad Carolum Emmanuelem cui arma ponenda præscribat. — Ea legatio cum prospero exitu peragitur.

MDCXI.

De matrimoniorum cum Hispanis confectione jam decretam voluntatem suam publice exprimere noluit Maria Medicea priusquam a Normannia provincia sua redux esset Suessionum comes qui magna cum ægritudinis ostentatione, eorum causâ quæ circa reginam fierent, huc ab aula discesserat. Sed factum reginæ animi conscium hispanum consistorium non dubitavit novo Mediolani præfecto, Castiliæ constabulo, arma ponenda præscribere ¹.

1. Ex epist. Brevii x kal. jan. MDCXI, et venet. leg., iv kal. jan. MDCX.

Hoc ab Hispanis condonatum quo minus Galliae reginae indecorum esset quae pacta apud Brusolum fuissent ita contemnere. Adde quod eodem tempore non dubitaverat Carolus Emmanuel se in omnem humilitatem erga Hispaniae regem demittere ut illius arma effugeret. Filium enim suum Philibertum Madritum miserat; qui quidem ante regem admissus genibusque flexis avunculo non obsignatam chartam porrexerat in qua scriptum erat Sabaudiae ducem se obsequentissimum Hispaniae regis voluntatibus profiteri supplicemque ab eo petere ut fines ipsius populari abstineret. Tum chartam dilaceravit Philippus III responditque : « Eorum causa quae ab adolescente dicta essent et propter sanctae sedis intercessionem se non jam de bello adversus Sabaudum gerendo cogitare ¹. » Ita a Carolo Emanuele exacta Brusolani foederis poena.

Quum se reversurus ad aulam Suessionum comes et pariter profectus princeps Condæus significassent, iis consilia sua de matrimoniis communicavit Galliae regina. Vox utrique una : « Eam imprudentissime sensus suos aperuisse, ita ut multorum animos et in Gallia et extra Galliam alienavisset; sibi non videri, tempore praesente, hoc jure fecisse reginam, non convocatis tribus ordinibus; nihil enim ardentius ab Hispanis quam societatem vel cum Sabaudia in Galliae damnum et ruinam exoptari; ab Hispanis decipi Mariam, quum eam primogenitae promissione allicerent, vix olim concessa secundoge-

1. E tabular. Sab. dom. *Filiberto al duca* 22 gennaio 1611. LETTERE PRINCIPI mazzo XIV.

nita. » Ea monitione parumper flexa regina cum Bottio egit ut ab hispana curia Innico de Cardena mandaretur accipiendam esse matrimonii petitionem, promittendam-que post statutum tempus Hispaniæ regis comprobationem. Quo melius in posterum securitati suæ caveret, efflagitavit insuper regina ut simul ac matrimonia, fœdus etiam fieret ad mutuo utriusque regni tuendam incolomitatem.

Hoc tempore Sullius, multis contumeliis vexatus et deserta Henrici IV consilia ægerrime ferens, civilibus muneribus abscessit. Quum ambigua videretur Ugonotorum erga reginam fides, iisque tum quasi princeps adfuturus esset Sullius, rem sapienter gestam duxerunt reginæ suasores, si matrimoniorum declarationem post generalem hæreticorum concionem hoc anno indictam proferrent.

Alia etiam impedimenta negotio moram attulerunt. Etenim Sabaudia dux, via querelarum relicta, ad iram et comminationem transierat. Illius enim copiae Alpes supergrediebantur ineunte mense februario, trajectoque Sancti Bernardi monte, Genevam versus consistebant¹. Scripsit marescalcus Diguierius se non satis scire quo tenderent. Non semel Carolus Emmanuel pro jure quod suum dicebat, etiam vivente Henrico IV, contenderat, et Genevam armis appetierat sed invanum. Denuo rem repetendam existimavit².

1. Ex epist. florent. leg. Bottii, xiv kal. mart.

2. Exstat apud biblioth. nation. mss. quoddam sub hoc titulo : *Sommaire des droits et raisons de Son Altesse Sérénissime le duc de Savoie sur la ville de Genève* (nº 3804, fonds français). Eas rationes de

Sive huc sive alio tendebant Sabaudiaë ducis arma haud dubium est eum patefacere voluisse quantam e pacto cum Hispanis matrimonio molestiam accepisset. Quod ubi nuntiatur, circa Mariam Mediceam tota trepidatur aula. Celerum equitum turmas a. d. xv kal. apr. in Burgundiam properare jubetur; Luxii baro locum regis in hac provincia tenens statim proficiscitur; Pernonis dux ad Jacobum mittitur, colloquioque facto inter eos, ita respondet sabaudus orator : « Ducem dominum suum fraude nihil agere; hoc adeo sibi ipsi exploratum esse ut annueret ultimum de se sumendum esse supplicium nisi prorsus ad veritatem loqueretur. » Quod quum Mariæ Mediceæ renuntiatum esset, vespertino ut solebat cum circumstantibus habito sermone edidit : « Optimum illum senem a Sabaudiaë duce decipi quo facilius deciperetur ipsa. »

Hoc timendum maxime videbatur quod non aberat suspicio Sabaudiaë ducem et Mediolani præfectum inter se consentire in incepta illa adversus Genevam hæreticorum urbem caput aliasque Helvetiæ partes incursione. Haud abhorrebat a talibus consiliis Hispanorum quum superstitio tum astutia. Quod si rem, contempta Galliæ

quibus agitur breviter contrahemus : Geneva imperii feudum antiquo Burgundiaë regno attinens habitum est; quod quum primi Genevæ comites renuntiavissent, sibi partes comitum principumque hujus urbis assumere vescovi tentaverunt. Ea autem contentio nulla imperatoria bulla fulcitur, imo a Sabaudiaë ducibus Genevæ designantur vescovi. Nec sui magis est juris municipium; seditiosos enim paganosque in hac urbe esse cives res nota et apud omnes pervulgata dici potest. Sabaudiaë vero ducibus jus possessionis pontificalibus litteris anno MLXXVII indictum est. Ballivos ergo collocaverunt ibi, et monetam suâ effigie signaverunt. Sabaudiaë ducem Ludovici XI edictum naturalem Genevæ dominum vocat.

amicitia, prospere gessisset Sabandus, eum arctiore contracto fœdere inservire utilitati suæ vel in Italia, vel in Helvetia cogeret Hispanus. Si male, ejus incepta improbare, quid hispanam curiam puderet? Nonne enim, suspensis adhuc cum gallis principibus matrimoniis, eam alterutri parti licebat favere? Non parum commoti sunt his rationibus Mariæ Mediceæ animi. Missus est igitur Villaregius ad Innicum de Cardena, cui significaret : si longius dux pergeret, decrevisse reginam Lugdunum cum filio iter habendum, eam denique ab hispano oratore efflagitare ut comitem se viam facientibus adjungeret. Respondit Innicus se comitem itineris fore ¹.

Si merito reputari potest tum ad id spectavisse Hispanorum consilia ut omnino Sabaudia dux a regis et reginae Galliaë amicitia disjungeretur, fatendum est nihil efficacius eos in proposito adjuvisse quam repentinum ille citra montes tumultum. Ita in aula gallica accendebantur animi ut regius puer ad bellum commotus, multis præsentibus, in privato Mariæ Mediceæ cubiculo exclamaverit : « Sibi mille annorum quasi moram afferri quod non jam in equum insiluisset. » Dein ad speculum currens et postquam sese inspexisset ad circumstantes conversus : « Se jam duplicem, ut sibi videretur, in altitudinem crevisse, ex quo de bello verba fierent. » Ita spiritus hostiles in juvenili animo adversus Sabaudum concitabantur.

Exinde quam cito ad Sabaudia ducem properare Baraltus quondam Madritum legatus ab aula gallica et

1. Ex epist. florent. leg. Ammirati, iv kal. mart. MDCXI. Vid. append. X.

Trullius a Jacobo jussi sunt. Utrique Carolum Emma-nuelem de his quæ inconsideratum in Genevam impetum consecutura essent admonere mandatum. Eodem tem-pore Ugonotti nonnulli arma sumebant Genevæ incolis auxiliaturi; armabatur etiam apud Helvetos et urbi peri-clitanti Diguiarius marescalcus appropinquabat ¹.

Multum et serio de protectione regis et reginæ actum est; qui rei adversabantur contendebant: « Quod si Sa-baudia dux in incepto perstaret, hoc significari eum aut ab Hispanis aut a principibus in Gallia rebellionem medi-tantibus aliquid subsidii sperare; utcumque casura res esset, majestatibus ambabus ex urbe regni capite earum amantissima non exeundum; quod si extra urbem pe-regrinarentur, commodius adversus eas nefanda pa-trari possent; si jam concordibus animis, ut verisimile esset, Sabaudia dux et isti principes rem agerent, tunc minore labore absentibus quam præsentibus rege et regina seditionem Parisiis excitarent; plus hanc urbem quam totius regni reliquum valere; cæteras enim urbes illius ductu et impulsu agitari; imo, Sabaudia partes suscipientibus Hispanis, et e Flandria Picardiam aggre-dientibus, quis ad eam defendendam provinciam accep-tior ac tutior quam Lutetia locus haberi posset. »

Qui regem et reginam exercitibus Lugduni præesse volebant hæc in contrarium attulerunt: « Omni modo prohibendum ne cuicumque principi, Condæo præsertim, a quo efflagitatum esset, imperium committeretur; ubi

1. Ex epist. florent. leg. Ammirati v non. mart. MDCXI.

rex versaretur neminem imperaturum; præsente autem Lugduni rege egregium aliquem famulum uti marescalcum Castreum pro legato creari posse; nullam Lutetiæ fore perturbationem, in urbe fidelissima, si quis bonus vir ei præficeretur ¹. »

Quum hæc disceptarentur, Jacobus proprium filium Taurasiam mandavit. Qui licet de male observata fide conquereretur quod ad matrimonium attinebat, ducem tamen de regno armis perturbando cogitavisse negavit. Sed liberius exprimebat non deceptum olim fuisse Sabaudum si Roma Florentiaque accepta monita audivisset; illi enim ex utraque parte scriptum esse eum reginæ Galliæ ludibrio esse ².

A. d. vi non. mart., consistorio habito in conspectu regis, sex mille Helvetorum delectus decretus est, ejusque habendi cura domino de Refugio apud Helvetos oratori regio delegata, quum nova mandata recepisset; nuntiumque ad marescalcum Diguierium miserunt ut ille juberetur tria hominum millia prompta expeditaque tenere, Genevam, si opus esset, intromittenda. Ne ullum in civitatem timorem injicerent, præceptum est omnes eos milites ex hæreticorum numero legendos. Alincurius Ludgduni præfectus, Sanlarius Bellogardius in Burgundia legatus, locum suum repetere properaverunt. At profectio regis in posterum dilata.

Paulo post Lutetiam transit Sabaudiæ legatus quidam Ruffiæ comes, inde Britanniam petiturus; quem ad finem,

1. Ex epist. florent. leg. Ammirati, iv non. mart. MDCXI.

2. Ex epist. florent. leg. Ammirati, iv non. mart. MDCXI.

posterius explicabimus. Contendit venetianus orator eum comiter a regina acceptum esse; sed alio prorsus modo et multo accuratius rem refert Ammiratus. Cui si fides adhibenda, Ruffiæ comes ante regem et reginam admissus, quum curia in eo esset ut Sancti Germani pagum proficisceretur, sibi esse miraculo exprompsit quod in mentem regis et reginæ venisset dominum suum in Galliam alieno esse animo et adversus eam arma cepisse. Respondit regina : « Hoc inconsulte illi miraculo esse, quum res in conspectum caderet. » Pluribus factis verbis adjecit orator non posse reginam ea pro certis habere quæ toties jurejurando etiam pernegavisset Jacobus. Tum sublata voce regina iterum exclamavit : « Oratorem decipi quo deciperetur ipsa, uti soleret dux, uti non semel sed etiam atque etiam fecisset. » Ea verba non modo a præsentibus audita, sed ante alios etiam a regina iterum pronuntiata. Cæterum Ruffiæ comes quum colloqueretur cum nonnullis oratoribus, Alpes a Sabaudia ducis copiis superatas esse haud negavit; sed illas eo potius quam alio tendere abnuvit. Id vero magni momenti attulit : concordibus animis Hispaniam Sabaudia junctam esse, Hispanosque in Sabaudia sedem habentes primos ante omnes ducis vestigia prosecuturos ¹.

Voces ambiguae, irrita consilia. Secus enim ceciderunt incepta quibus, quocumque spectantibus, haud dubium in discrimen Gallia securitas vel commodum induci reputabatur. Naturam ipsam rerum adversam dux invenit :

1. Ex epist. florent. leg. Ammirati, non. mart. et venet. leg. VII id. mart. MDCXI.

quum enim nivibus decem pedes altis opertum Cenisium montem non sine magna interposita mora transisset major Sabaudi copiarum pars, Galliam gubernantibus tempus agendi suppeditatum est. Etenim quando parvulus exercitus vix et ægre conglobatus ad Gresini pontem venit ut in Genevensium et Valesanorum agros procederet, obvium Luxii baronem habuerunt qui eos unde profecti erant retro viam repetere coegit. Rebus ita desperatis fidem dedit Sabaudiae dux se velle rem ad concordiam adduci ¹.

Quapropter ab aula gallica non discedere jussus est Jacobus, omni que affirmatione asseveravit Sabaudus a se jam arma deponi. Quum cuperet regina summam promissi priusquam concionarentur Ugonotti completam esse, ad Carolum Emmanuelem dominum Varenam cursus publici supremum præpositum unumque ex Henrici IV familiaribus legavit, qui rem ad effectum adduceret. Illi non defuerunt argumenta; duci enim confirmationem subsidii annui CM scudorum afferebat; quod ad matrimonium attinebat præceptum legato asserere: a regina statutum omnia quæ promississet Henricus IV perficere; sed expectandum donec regius puer tutelæ suæ fieret. Ita enim ducem longioris pertæsum expectationis sponte sua spem depositurum arbitrabantur ².

Reginæ severum in modum cum Jacobo de ponendis armis locutæ se interventuros ad rem conficiendam dubia

1. Ex epist. venet. leg., vi non. mart. MDCXI.

2. Ex epist. venet., leg. xii kal. maii. MDCXI et florent. leg. Ammirati, vi a. k. maias.

cum sinceritate obtulerant orator hispanus et sanctæ sedis apostolicæ nuntius. Sed jam nova deprehenduntur artificia : certissime denuntiatur Mariæ Mediceæ semper in armis esse Sabaudia ducem, quia spem concepisset Ugonottos in proxima concione occasionem turbandi regni nacturos adeo ut eorum insolentiam armis reprimere necessarium Mariæ Mediceæ fieret; tunc omnia opportuna duci futura ad Genevam armis capessendam, quum alio reginæ studia viresque detorquerentur. Hunc rumorem redarguere et suspicionem diluere conatur Jacobus. Fontem bellaqueum igitur petit; Villaregio spondet ducem omnino ab armis discessurum quum ea Bernesi deposuissent, ipsiusque dominum optimo esse animo profitetur. De matrimoniis etsi spes nulla superesset aliqua etiam adjicit. Sed nihil aliud nisi arma a Sabaudia ponenda curat Maria Medicea, ut omnis querendi metuendique causa Ugonottis tollatur. Varenæ igitur expresse mandatur ne Lutetiam redeat priusquam rem absolutam perfectamque viderit. Præscribitur etiam ut marescalcum Diguierium, iter faciendo adeat et in unum ambo consulant. Villaregius pro parte virili cum Jacobo paciscitur ut eodem tempore Sabaudia ducis et Bernesorum copiae dimittantur.

Haud sine prospero exitu Varenæ legatio. A. d. iv kal. jun. Taurasia Lutetiam redux ad regem et reginam adhuc apud Fontem bellaqueum morantes properavit. Mariam Mediceam statim adiit eique vix aulam ingrediens, voce ita sublata ut ab omnibus audiretur : « Domina, inquit, mandata tua peregi; dux arma posuit et Majestatis tuæ

voluntati obsecutus est. » Tum propius ad reginam veniens, abunde de legatione disseruit. A duce dixit considerata esse cum maxima doloris ostentatione omnia quæ evenissent; quanti enim sumptus effusi, quanta odia collecta quum defuncti regis consiliis adhæsisset. Hoc tamen illi fuisse solatio quod in spem matrimonii venisset quo omnia sua firmatum et in tuto repositum iri credidisset. Tunc quum videret fidem ab altera parte violatam seque omnino ab Hispanis alienatum, deprecabatur dux reginam ut conditionem suam aliquanti faceret. Sibi ad finem necesse hanc amplecti partem qua tot periculis defendi posset. Reginæ igitur pensanda bona aut mala quæ parere posset Sabaudia ducis cum alterutra parte conjunctio. Ideo Mariæ Mediceæ voluntati et studio fidentissimum expetere ut ipsum rerum toties promissarum et animo vere regio dignarum jam certa concessione consolaretur. Perrexit Varena longam ducis de præsentis rerum in Gallia statu orationem referens de qua inferri posset multum interesse reginæ se in promptu Sabaudum habere, qui paucis horis totas fere vires in Galliam ad auxilium reginæ transferret. Concludit legatus verbis amplificatis de virtute facultatibusque ducis ejusque optima concordique cum Gallia regno voluntate. Hæc omnia attente audita sibi gratissima et Varenam optime munere functum professa est Maria Medicea. Eadem Villaregio et Jacobo relata; huic autem a Varena præceptum ne tunc verba seu de matrimonio seu de stipendio faceret, quia notum esset dilationem a regina quæri.

Optime reipsa fatendum est in ea legatione meritum esse Varenam. Non verba tantum at scripta reportabat. Quid inter illum et Sabaudiae ducem convenerit, apparet ex gallica scriptura quæ typis mandata est et legi potest in eo libro cui titulus inscribitur : *Traité public de la maison de Savoie* ¹. Se arma depositurum pollicebatur dux, ejusque et totius ditionis tuendam incolumitatem suscipiebat ex altera parte Galliæ regina.

1. T. I, p. 288. Vide append. XII.

CAPUT III

ARGUMENTUM. — Salmurii habetur Ugonottorum concio. — Galliae regina aliam e filiis Christianam Britannici regis filio collocare meditatur. — Ægerrime fertur a Maria Medicea Sabaudiae ducem pro filio Britannici regis filiam exoptare. — Repugnant Hispani et matrimonio ducis Toscaniae sororis cum Sabaudo principe et matrimonio Nemorosii ducis cum Caterina Caroli Emmanuelis ducis filia. — Inde iurgium nascitur in aula Sabaudiae ducis. — Absolvendum perficiendumque matrimonii foedus oratori suo apud Lutetiam jubet Hispaniae rex. — Colloquium inter Sabaudiae ducem et Diguierium marescalcum apud Segusionem habetur. — Admonetur Carolus Emmanuel non diutius de matrimonio cum Gallia cogitandum.

MDCXI.

Asperrimo hoc confecto negotio, haud mediocri sollicitudinis causa exempta fuit Maria Medicea. Rebus undique tutis tranquillisque Salmurii habita est Ugonottorum concio, et scripturae secretae prid. kal. maias de gemino matrimonio compositae approbationem concedere suam properavit Hispaniae rex. Tum regina majora movere aggressa filiam aliam Christianam Britannici regis filio collocare meditata est ¹; in hoc etiam Sabaudiae duci transversa incurrerunt Mariae Mediceae consilia.

1. Ex epist. florent. leg. Bottii iv id. jul. MDCXI.

Primæ de matrimonio illo regiæ puellæ cum Cambriæ principe mentioni habitæ nullo modo repugnare visus est Britannicus orator Watto. Cui quum, ardelionem semper se gerens, Bottius dixisset duas esse in Gallia regias virgines, ideoque nihil prohibere quin utrumque regnum concorditer ageret, puellarum majore natu Cambriæ principi, cui plures anni, minore autem principi hispano destinatis, respondit orator ita temperamentum quoddam matrimonio cum Hispanis adhiberi posse. Comes autem Ruffiæ ad id in Britanniam missus erat ut ibi per nuptias genti regiæ jungendum Sabaudia principem proponeret. Talis matrimonii petitionem ægerrime tulit Maria Medicea, duarum rerum gratia : primum quod Cambriæ principem Henricum pro nata sua vindicaret, secundo quod Sabaudia principi propriam consobrinam, unam e Toscania ducis sororibus, collocare jam studeret ¹.

Uxor a pluribus pariter Jacobi regis filia Elisabetta orabatur : a principe Mauritio, a palatino comite Fridrico et a sabauda principe. Huic ultimo maxime adversa petitionis fortuna ; nam haud immerito dicebatur duplices ab eo nuptias ambiri ². Molestissime tamen tulit Sabaudia dux a medicea gente uxorem filio suo proponi, eo magis quod ita perfide matrimonio cum Gallia inito frustraretur. Dimisso enim hæreticorum cœtu, quum Jacobus Villaregium admonuisset nihil exinde prohibere

1. Plurimæ enim erant Cosimi II sorores, Leonora scilicet, Caterina, Claudia, Magdalena.

2. Ex epist. florent. leg. Bottii, prid. id. Aug. MDCXI.

quin ipsius reginæ de matrimonio fides impleretur, nihil rem profecisse semperque moras easdem adhiberi animadvertit. Itaque denuo se ab aula gallica revocandum postulavit.

Ægerrime etiam in ipsa Hispania ferebant unam e ducis Toscaniæ sororibus sabaudo principi proponi. Adde quod et matrimonio ab aliquo tempore inter Henricum Nemorosii ducem et Caterinam Sabaudia ducis filiam destinato adversabantur, ita ut quacumque verteretur Caroli Emmanuelis de matrimoniis cogitatio, vel inclinanti, vel repugnanti, semper aliquid impediendi objiceretur¹.

Vehementissimum Taurasiæ concitatum esse jurgium, illarum Nemorosii ducis nuptiarum causa, Ammirato retulit papæ nuntius, rei certior a Jacobo ejusque filio factus. Scripserat enim Hispaniæ rex ad suum in aula Sabaudia secretarium litteras de hoc matrimonio, quibus receptis, ducem adiit secretarius eumque admonuit regi suo minime placere quod Sabaudus unam e filiis suis tradere Nemorosii duci vellet, qui non sui juris princeps, sed Hispaniæ nec non Galliæ subditus esset; pessime illud a summo pontifice², a principibus vicinis ipsisque Sabaudia ducis popularibus haberi; ideoque a rege præcipi ut, mutato consilio, mandaretur in Hispaniam puella quam postea rex optime collocaret. Respondit dux: « Rem adeo promotam non jam retrahi posse; quod

1. Ex epist. florent. leg. Ammirati, ix kal. nov. MDCXI. Vide append. XI.

2. Summus pontifex erat tunc Paulus V.

ad pontifici satisfaciendum attineret, rem prorsus actam quippe qui, ubi primum rogatus, immunitatem concessisset; sibi pernotum a tali matrimonio nihil repugnare vicinos suos, Mantuæ Mutinæque duces; de cæteris haud curandum; suos enim subditos non dubia lætitia perfundi et illarum nuptiarum diem tanquam festum acturos; etsi non omnino sui juris principem, consanguineum tamen suum esse Nemorosii ducem; quod si Sabaudia domum ad id culmen honoris adducere vellet Hispaniæ rex ut unam e principibus puellis maritandam susciperet, quam reliquam haberet Mariam protinus ultra Pyreneum montem mandaturum esse Sabaudum. » At hispanus secretarius: « Eam a suo rege expostulari quæ Nemorosii duci destinata esset; ideoque duci curandum ut ea in Hispaniam mitteretur. »

His paulo post auditis exarsit incredibili furore Nemorosii dux et unus ex ejus comitibus nomine La Grange in secretarii domum ferociter irrupit, se audiisse exclamans ab illo de domino suo Nemorosii duce maledictum esse; ideo quid facturum dicturumque esset ei animadvertendum, ni mallet missili glande peti. Quo dicto egressus est. Vociferatur secretarius publicam fidem violatam; facto rumore consentiunt papæ nuntius, venetianus legatus et Galliæ secretarius de injuria illata satisfaciendum Hispano, ideo oportere veniam ab illo La Grange peteret. Renuntiat autem Hispanus non sibi sed regi et consistorio, quod facinoris gnarum effici jam curavisset satisfaciendum.

Sabaudia dux injuriæ indignitatem non tulit. Mani-

festum existimans iracundiæ suæ testimonium producendum, La Grange in imam turrem dejici volebat. Quod quum audiisset gallicus secretarius, ad ducem properavit eumque admonuit hunc esse nobilem et gallum; quapropter regi non duci castigationis ejus adhibendam curam, quum in Galliam remissus esset. Nihilominus ipse poenam irrogare dux volebat afferebatque in domo sua delictum esse, ideoque capiendæ pænæ ministerium sibi ipsi obtingere. Opus fuit, ut effugeret La Grange, gallicum secretarium profiteri se comitem ei futurum, si in imam turrem dejiceretur ¹.

In Galliam mandatus est Jacobi filius non modo hæc regi et reginæ nuntiaturus, sed indagaturus etiam si Nemorosii ducis cum Caterina Sabaudi filia matrimonium, spreta Hispanorum contumacia, effici vellent. Hoc enim maxime a Sabaudis, utrumque regnum ita discordare, expetebatur ².

In Gallia necnon in Hispania continui fere luctus extremo anno habiti. Nam Mantuæ ducis Vincentii Gonzagæ conjux Eleonora, reginæ Mariæ soror, obiit (in fine septembris); Hispaniæ regina postquam parturierat idibus octobribus morti quoque occubuit. Neque infantibus etiam pepercit fatum; dux enim Aureliani subito morbo abreptus est a. d. XV kal. dec. Nec matrimoniorum tamen tractationi, quum tot funeribus regni domus complerentur supersessum est. Indefessus enim

1. Illum La Grange, quum in Galliam rediisset, ipsa regina in carcerem dejici curavit, sed postea liberavit, ut apparet ex epistola quam in appendice XVII invenies.

2. Ex epist. florent. leg. Ammirati, vii a k. nov. MDCXI.

ille nuptiarum conciliator Campiliæ marchio tanta industria rem connubialem lævo tempore agebat ut eum apud Fontem bellaqueum ubi tum Lotharingiæ ducissa Margarita¹ defunctæ Mantuanæ filia versaretur, parum grato animo exceperit Maria Medicea. Nihilominus inepte, ut solebat, expertus est annon Mariæ Mediceæ, peracta regis tutela, displiceret ad alias nuptias cum Hispaniæ rege migrare; quod in cavillationem vertit regina. Bottius autem Mariæ studiis indulgere neque mente, neque lingua, neque oratione cessavit; hoc maxime prohibendum produxit ne Philippus seu Britannici regis, seu Sabaudi filiam ducis aliam uxorem duceret: « Idoneum illi fore matrimonium cum unâ e Toscaniæ ducis sororibus, quia virgines illæ optabilissimæ essent, uti pulcherrimæ, castissimæ et mirabiliter educatæ². » Quem sermonem licet anilem, originis memor, haud respuit regina.

De matrimoniis inter Hispanos gallosque principes producta in longius per totum hunc annum tractatio, quum nihil aliud nisi per secreta scripta profecisset, subito in melius mutata est. Britannici rex, quum omnem de re dubitationem auferri vellet, oratori suo apud Philippum III Digbio comiti expresse mandavit ut uxorem Cambriæ principi Annam hispani regis filiam oraret. Accepit autem eam Galliæ regi desponsam fuisse³. Ita pernotuit dubium adhuc longoque tempore absconditum negotium. Tunc demum absolvendum perficien-

1. Henricus Lotharingiæ dux eam uxorem duxerat post mortem Caterinæ regis Henrici IV sororis.

2. Ex epist. florent leg. Bottii, iv id. nov. MDCXI.

3. Ex epist. venet. leg. xvii kal. jan. MDCXII.

dumque matrimonii fœdus oratori suo apud Lutetiam jussit Hispaniæ rex.

Inde fictas imagines quibus sibi ipsi Sabaudia dux illuserat omnino delere necesse fuit. Nam professus erat dux nullam a filio suo uxorem assumptum iri priusquam in Hispaniam ducta esset reginæ Mariæ filia. Hoc munus Diguierio marescalco delatum. Colloquio igitur inter ducem et marescalcum habito apud Segusionem, de quinque capitibus disputatum.

Primo, quum Diguierius ducem ab errore detrahere tentavisset et admonuisset non diutius de matrimonio cum Gallia cogitandum, quippe quum id sæpius ejus oratori prædictum nihil valuisset, hæc contra Sabaudus attulit : « Se semper in eadem spe manere, et effectum iri quæ cum Henrico IV pacta essent confidere; horum enim causa se amicitiam Hispaniæ regis amisisse. » Multa etiam de totius Italiæ cum Gallia ineunda societate adjecit, et expostulavit ne negotium, priusquam audiretur ipse, concluderetur; se Lutetiam iturum ibique ad Mariæ Mediceæ arbitrium et nutum se totum accommodaturum. Quum in hunc modum pertinacius a duce sollicitaretur Diguierius, haud abstinuit quin hæc proferret : « Quia non satis essent ad detrahendum errorem et ab ipsa regina Sabauda oratori expressa et iterum a se confirmata repetitaque verba, cui fidem adhibendam putaret, nisi in eodem lecto accumbentes Hispaniæ principem et reginæ filiam videret? » Vocibus haud ambiguis auditis dicitur Sabaudia dux clamores edidisse, crines barbamque laceravisse et furens lacrymas profudisse.

Secundo actum est de Sabaudi patrocínio a Galliæ regina suscipiendo, quod iterum marescalcus adversus Hispanos et quoscunque alios, si opus esset, pollicitus est, dummodo quietem dux ageret, neve a Maria Medicea quæreret, nisi pro securitate provinciarum suarum tuenda, patrocínio; neque enim in Italia aliove arma duci movenda; et quoniam in deposcendo patrocínio Galliam Hispaniæ jam ab aliquo tempore prætulisset, ne minima quidem eum injuria lædi passuram esse reginam.

Postea de Nemorosii ducis matrimonio sermo habitus. Sabaudus marescalcus verba paucis ante diebus a regina expressa retulit: « Haud deçere matrimonium illud, adversante Hispaniæ rege, perfici; non id pro jussu sed pro monito habendum; Nemorosii duci has nuptias a regina non detrectatas; eum vero sæpius invitatum fuisse ut caute rem ageret ¹. »

Quarto declaratum est CM ducatorum annuum stipendium quod vindicaret Sabaudus a regina condonari semperque condonatum iri, dummodo scriptis propria manu litteris a duce postularetur. Cui conditioni quum repugnaret dux contenderetque defunctum regem a Sabaudiaë ministris illata petitione contentum se præbuisse, nihil amplius disceptatum.

Postremo de novis cogitandis pro ducis filio nuptiis locuti sunt. Ægre refert Bottius non Toscaniæ ducis sororem sed Mantuæ ducis filiam propositam esse. Quod

1. Vide ad appendicem XIV ejusdem tenoris epistolam a Mariâ Medicea scriptam.

quidem non sine suffuso rubore Toscanaë legato confessa est regina. Volebat enim Maria Medicea aliquo commodo compensari tot infelici duci illatas acerbitates. Nam sperabat Sabaudus tali matrimonio Montemferatum in vicem cujuslibet alius regionis provinciis suis adjungi posse ¹. Has igitur in partes inclinatio ejus animus, cæteris rebus desperatis, descendebat. Quod ad Mariam Mediceam attinebat, aliam e. propinquis suis collocandi hoc novo consilio viam invenerat. Etenim viduæ feminæ omne studium in jungendis matrimoniis impendebatur.

1. Ex epist. florent. leg. Bottii, xiii kal. jan. MDCXII. — Vide append. XV.

CAPUT IV

In aula sua palam de confecta cum Hispanis pactione loquitur Maria Medicea. — Sabaudus militum tribunus Allardus usque Lutetiam Diguierium persequitur, reginæ animum flectendi viam indagaturus. — Aliquo modo duci satisfaciendum arbitratur Maria Medicea. — Toscaniæ ducis sororem sabaudo principi matrimonio jungi obstinato animo cupit regina. — De hoc inter gallicam et hispanicam curiam tractatur. — Publice denuntiantur inter gallos et hispanos principes composita matrimonia. — Sabaudiæ dux se in Mariæ Mediceæ manibus totam causam suam reponere fateatur. — Nihilominus ad Britannos nec non ad Hispanos vertitur quibuscum matrimonia jungat. — Repulsas accipit undique. — Tractando matrimonio cum Toscaniæ ducis sorore obstat subita inter Galliæ reginam et Cosimum II contentio. — Hic enim aliam sororem a Cambriæ principe duci posse arbitratur. — Nihil a Maria Medicea negligitur ut filia sua prævaleat in his contentionibus de matrimonio cum Cambriæ principe. — Opus pœne ad exitum adducitur quum moritur princeps. — Sabaudiæ dux, tot acceptis a regina Galliæ offensionibus, rursus ad Hispanos confugit.

Necesse erat matrimonia cum Hispanis clam composita publice tandem denuntiari; nec diutius cunctandum Philippi III ministris videbatur. Quapropter ad effectum operis festinabant. Ineunte anno principum et populorum animos ad absolutam rei consummationem præparavit Maria Medicea. In aula sua palam de

confecta cum Hispanis pactione locuta est; exinde in ore atque sermone omnium proximæ nuptiæ. At semper eadem apud Condæum principem et Suessionum ducem ingravescebat initi fœderis invidia. Factionem igitur adversus præcipuos matrimoniorum cum Hispanis fautores Villaregium et Brulartum cancellarium instituere tentaverunt. Quorum societati comitem haud dubitavit se adungere Sabaudia dux, nec non Nemorosii ducem conjurationis participem efficere voluit¹. Eorum consiliis peragendis, quum subita affectus esset Villaregius valetudine, ita ut minime periculi expers videretur, haud iniquum tempus visum est. Tunc enim architectus et machinator omnium habebatur Villaregius cui, ut scribebat Bottius, nihil aliud quam regis nomen deerat ut vere rex evaderet. Qui autem ei adversabantur sermonibus dispergebant, si Villaregius de medio tolleretur, omnia jam quæ ab illo pacta essent dissolutum iri.

Quo factum est ut majore modestia et temperamento linguæ uti coacta sit Maria Medicea. Adde quod eodem tempore Lutetiam pervenerat novus Sabaudia ducis legatus. Etenim Diguierium marescalcum de provincia Delfinatu ad aulam profecturum ut mandata exponeret, adierat Gratianopoli tribunus militum Allardus. Hic marescalcum, ejus vestigiis hærens, usque Lutetiam persecutus erat²; nec sine publici cujusdam officii auctoritate longissimum iter confecerat; datum enim ei negotium erat ut consolatorio officio mortui ducis Aureliani causa

1. Hoc enim apparet ex epistola quam ad appendicem XVI invenies.

2. Ex epist. florent. leg. Ammirati, xvii kal. febr., MDCXII.

pro Sabaudiaë duce fungeretur. Ea etiam quæ in ultimo apud Segusionem inter Sabaudiaë ducem et marescalcum Diguierium pacta erant stabilienda acceperat. Passurusne esset Carolus Emmanuel omnia quæ ipsi imposuissent, adhuc incertum videbatur. Præsente Allardo, tempus minime opportunum ad publicam matrimoniorum cum hispanis principibus divulgationem habitum est priusquam de Sabaudiaë ducis sensibus certiores in aula gallica fierent. Itaque silentium paulisper de re habendum et Sabauda aliquo modo satisfaciendum censuerunt.

Habito enim apud Segusionem colloquio, gravissimam animo amaritudinem conceperat Sabaudus sensusque suos Claudio Marino Galliaë legato patefecerat; cum gestu vividissimo efferbuerat de matrimoniis et utriusque regni societate querens. Eo gravius fortunam adversam ferebat quod nati nuptias cum Britannici regis filia jam desperabat ¹.

Rebus ita se habentibus haud facile duci solatia præbere. Iis enim quæ flagrantissime expetebat renitebantur acriter Mariæ Mediceæ ministri. Postulaverat dux ut sibi aliquid agri citra Alpes concederetur; de tali re nihil agi posse responsum fuerat; deinde ut aliquid sibi adjumenti ad obtinendum regis nomen suppeditaretur efflagitaverat; id etsi non recusaverant, incassum evasurum palam profitebantur. Nihil enim amplius concedere volebant quam principi Thomæ, ducis filio, dum-

1. Ex epist. florent. leg. Bottii, vii kal. febr., MDCXII.

modo in aula gallica sedem et quasi domicilium eligere vellet, annum stipendium. Præterea semper ejusdem propositi tenax sermone jactabat Maria Medicea se generosas ejusque domo dignas nuptias Victori Amadeo conciliaturam. Hæc vero solatii species inanis; duci enim pro filio ea demum virgo destinabatur quam minime optabat. Nam Claudio Marino dixerat e duabus puellis de quibus in colloquio apud Segusionem actum erat, toscanam formosiorē atque ætate magis accommodatam, mantuanam vero sibi gratiorem esse. Nihilominus Toscaniæ ducis sororem sabaudo principi matrimonio jungi obstinatiore animo tunc cupiebat Maria Medicea.

Quapropter, infensis Sabaudiæ ducis animis, hispani regis ministri metuentes ne in longius traheretur publica matrimoniorum divulgatio viam reconciliationis et concordiæ cum Carolo Emmanuele quæsiverunt. Hispanus orator qui, a longo tempore Sabaudiæ legatum non inviserat, eum adiit, ne diutius divulgandis matrimoniis obstaret. Ex altera parte Sabaudus impedimentorum Gallis suscitandorum cupidus, sponte sua Hispanorum gratiam affectabat. Denuntiaverat enim se non modo filiæ suæ Mariæ cum Nemorosii duce nuptias abjuraturum et ei destinatam uxorem puellam in Hispaniam mandaturum, sed alteram etiam Philippo III commissurum, si regi placuisset ¹.

Tum statutum ita res componere ut Victoris Amadei matrimonium concordibus animis inter Galliam, Hispan-

1. Ex epist. florent. leg. Bottii, x kal. febr., MDCXII.

niam, Sabaudiam ipsamque Toscaniam conficeretur. Designatus fuerat orator in Hispaniam, regiam virginem Annam pro Galliae rege petiturus, dux Cenomannensis. Cum Innico pactum fuit dicturum hunc oratorem communis esse utilitatis uxorem a Sabauda principe duci, nulla tamen nominata puella; toscanam tunc ab Hispaniae rege designatum iri ¹.

Quo constituto, ultra progredi non jam dubitaverunt utriusque regni ministri. Lutetiae enim a. d. vii kal. febr., Madriti a. d. IV non. febr. publice denuntiata sunt gemina principum matrimonia. Non sine pudore ac verecundia erga sabaudum ducem res a Galliae cancellario divulgata. Nam quum omnem negotii tenorem repetiisset et exposuisset, ægre succurrit excusatio de derelicto cum Carolo Emmanuele fœdere et id unum attulit « nova consilia inita esse, quia res mutatae fuissent conversaque tempora ². » Non mirum est ita leviter allatam rationem minime gratam Condæo principi et Suessionum duci habitam esse. Paulo post enim ab aula rursus discesserunt ambo.

Hac ultima accepta injuria, haud omnino perfractus est animo Sabaudiae dux et latentem iram compressit. Reputabat enim per blandimenta plus quam per asperitatem profici posse. Scripsit ergo tribuno militum Allardo se in Mariæ Mediceæ benignitate totam causam suam reponere ³. Quanta, his auditis, lætitia exultaverit

1. Ex epist. florent. leg. Bottii, v kal. febr., MDCXII.

2. Ex epist. venet. leg. viii kal. febr., MDCXII.

3. Ex epist. florent. leg. Bottii, iv non. mart. MDCXII.

Bottius facile intelliges. Filiam enim patroni sui Sabauda principi matrimonio junctam praevidebat. Sed alio tendebat Sabaudus nec simplici viro Bottio tacebat Nivernius dux majora Carolo Emmanueli placere. Is enim jam secundam Galliae reginae genitam Christianam pro filio suo, altera deficiente, cupiebat ¹. Nec ea spes eum ad postremum fefellit, quum, Galliae rebus ab Alberto constabulo melius gestis, optatam virginem in matrimonio acceperit Victor Amadeus. Sed anno MDCXII Maria Medicea abhorrebat ab omni foedere quo natae suae non regum filiis jungerentur. Destinabat igitur Christianam Cambriae principi, jam ad novae Sabaudiae ducis petitioni repugnandum parata.

At Mariae Mediceae aemulans, regii quoque nominis titulo natos suos in matrimoniis decorari exoptabat Sabaudus. Hispaniae regem filiarum suarum unam haud dedignaturum sperabat. Quod ad filium attinebat, ei natam suam abnuente Maria Medicea, confidebat Sabaudus hispanum regem unam e suis non recusaturum, quum nubilis virgo foret. Nec satis; quanquam Britanniae regis filia Elisabetta de qua filio suo collocanda jam tractaverat, tunc desponsa principi palatino erat, non tamen aliquod matrimonii foedus cum Britannis iniri posse desperavit. Nam, facta cum Maria regina contentione, eam a Cambriae principe duci posse filiarum suarum quam Philippo III non collocavisset jam speraverat. Censebat forsitan majora semper audentes fortunam juvare, nec sibi ubique fores pulsanti fieri posse ut semper clauderentur. Il-

1. Ex epist. florent. leg. Bottii, 11 kal. april. MDCXII.

lius vero conatibus illudebat hispanus orator Innicus :
« Multa facere vult Sabaudus, aiebat, sed nihil proficit.
Pecunia indiget Britannus; at pecunia Sabauda deest;
neque Cambriæ principem pater maritabit nisi magna
suppeditet auri vis ¹. »

Nec sibi tamen quibus delectabatur errores extorqueri
volebat Carolus Emmanuel. Nam de hispani non minus
quam de britanni regis voluntate dubitandum erat. Phi-
lippus III non semel professus erat a se nunquam alteram
uxorem ductum iri; præterea in altiore loco sororem fu-
turæ Galliæ reginæ quam in Sabaudia ducali domo nubere
jam volebat. Hanc tamen puellam haud expresse sabauda
principi denegabant Philippi ministri; sed ætate minorem
quam ut de matrimonio ejus cogitaretur subijciebant ².

Mox autem hoc risu dignum accidit ut ita repulso
infelici Sabaudia duci, patri ambitiosissimo, ne ad tos-
canam quidem puellam se vertendi licentia superfuerit.
Quum Pastranæ dux, legatus Hispaniæ regis extra or-
dinem ut perlegendis sponsalibus tabulis adesset, Lutetia
versaretur, cum eo multo quam antea serius de matri-
monio inter Sabaudia principem et Toscania ducis so-
rorem actum est. Sperabant Mariæ Mediceæ ministri
promissione magnæ pecuniæ pro dote virginis allici posse
Carolum ducem. Jacobus autem, rei conscius factus, ac-

1. « Sua Eccellenza si messe a ridere, dicendo che Savoia vuol far molte cose, ma che non fa nulla et che Inghilterra ha bisogno de denari et che Savoia non ne ha, et che pero non occorreua pensare che gli havesse da riuscire et mostro don Imico di credere che Inghilterra non fosse risoluto di maritare il principe suo figliuolo se non fusse la forza del denaro. »
Ex Ammirati epist. xvi kal. aug. MDCXII.

2. Ex epist. florent. leg. Ammirati, iv non sept., MDCXII.

ceptisque a duce mandatis, respondit : « Domino suo provinciis magis quam pecunia opus esse; quod si matrimonium illud effici vellent, e duabus conditionibus alteram accipiendam : aut Sabaudiae duci concedendum Novicastrum Helvetorum Longavillae ducis dominium locumque opportunissimum, quem tanquam sui juris Carolus Emmanuel repeteret; aut pro dotis pecunia acquirendum et Mantuae cedendum oppidum Sabionetam; quo facto a mantuano duce reffectum iri Sabaudiae ducis in Monteferrato dominium uti, interposita pactione, convenirent ambo duces ¹. Ex iis ab oratore Sabaudo positis conditionibus apparebat Caroli Emmanuelis animum a matrimonio filii cum toscana puella aversum, nonnulla adhibita patrimonio suo accessione, flecti posse. Sed tractandae rei obstitit subita inter Galliae reginam et Toscaniae ducem contentio.

Etenim Toscanus, cui admodum suppeditabat pecunia, e sororibus unam Cambriae principi maxime idoneam fore uxorem sibi in animum induxerat. Ciolium igitur hujus matrimonii conciliationem aggressurum in Britanniam miserat, ita ut eodem tempore anglicae juventutis princeps pro marito filiarum aut sororis et a regina Galliae et a Sabaudiae necnon a Toscaniae duce appeteretur. Mariae Mediceae summe displicuerat proprium cognatum sibi rivalem in re maximi momenti obstare. Graviter itaque Bottium increpuit Villaregius praecepitque regina Diguierio marescalco in Delfinatum redituro ne amplius cum Sabauda de matrimonio alterius toscanae puellae tractaret.

1. Ex epist. venet. leg. xiv kal. oct. MDCXII.

Ita ceciderunt in vanum vel ab ista parte excogitatæ Victori Amadeo principi nuptiæ.

Haud mirandum est nihil magis tunc Mariæ Mediceæ curæ fuisse quam secundo genitæ cum Cambriæ principe destinatum matrimonium. Inito cum Britannia hujusmodi fœdere simul atque cum Hispania, rempublicam ex æquo temperatam fore nec regno unquam ab alterutra parte defuturum columen reputabat. Præterea propriæ quasi securitatis interesse matrimonium illud existimabat. Deposita enim regni tutela reginaque juniore a Ludovico XIII ducta, nihil sibi præsidii superfuturum censebat Maria Medicea nisi certissima auxilia foris compararet, quippe quum auctoritatem ejus imminuere certissime adnisiuri essent Hispani¹. Britannos igitur in aula sua Hispanis opponere decreverat, quo facilius, divisis circumstantium animis, imperaret. Ita publicum commodum, materna caritas necnon privata utilitas inter se consentanea Mariam Mediceam incitabant ut summo studio has novas exsequendas nuptias appeteret.

Itaque nihil ab ea neglectum quo res prævaleret : Ammirato enim mandavit Toscaniæ duci scribere de Bottio revocando. Pessimam reginæ erga se voluntatem non diutius pertulit Cosimus II; mox enim declaravit se de prohibito a Maria Medicea matrimonio non jam cogi-

1. « La regina vi è inclinatissima non solo per quella utilità che al re suo figliuolo et a tutto il regno possono derivare da tal matrimonio, ma anco per suo particolar interesse, per che dovendo venire fra poco tempo la principessa di Spagna a marito, convenne la maestà sua se vorrà mantenersi in autorità et credito col figliuolo, appoggiarsi a un partito che dipendi da se medesima, perche Spagnuoli non attenderanno ad altro che a diminuirgli l'autorità et accrescer quella della loro principessa. » Ex epist. venet. leg. ven. xi kal. feb., MDCXIII.

tare ¹. Neque erga Sabaudiae ducem minis abstinuerunt. Stipendium enim ab Henrico IV condonatum se abluros Mariae Mediceae ministri professi sunt, nisi Sabaudus matrimonii cum Britannis omnem tractationem desereret filiique collocandi arbitrium Galliae reginae permetteret ¹. Sed rumor percrebuit nummis ab Hispaniae rege adjutum iri Sabaudum ne isto agendi cum Britannis matrimonii consilio desisteret neve ita promptiorem collocandae filiae suae cum Cambriae principe occasionem Mariae Mediceae afferret.

At Britanni tot artificiorum et indicatae illius tanquam in mercatu licitationis haud ignari, jam nimios inde spiritus concipiebant; quadringenta igitur scudorum millia amplius quam quae Elisabettae reginae puellae dotem constituebant pro Christiana sorore expostulabant ². De his contendebant britanni gallicque ministri, profitebaturque senex Villaregius opus poene ad exitum adductum, quum ineunte mense novembre, princeps ille Cambriae de cujus matrimonio tanto studio contendebatur repentina morte interceptus est.

Quo mortuo non defecit frater iis qui britannici regis filio uxorem subministrare appetebant. Sed quum aetate minor esset princeps, omnium spes procrastinata. At Sabaudiae dux, acceptis adhuc a regina Galliae offensio-nibus, rursus ad Hispanos confugerat, et, renovata cum illis amicitia in Gallia non desiit inde perturbandis rebus iterum opportunitatem requirere.

1. Ex epist. florent. leg. Bottii, vi kal. oct. MDCXII.

2. Ex epist. florent. leg. Bottii, iii kal. nov., MDCXII. — Vide append. XVIII.

EPILOGUS

Ita vergente anno MDCXII nihil jam amplius ex iis quæ inter Henricum IV et Carolum Emmanuelem Brusoli pacta erant permanebat. Sed gradatim tantum et pro ut occasio petiverat rupta fuerat illa societas qua rex et dux una convenerant : « Se nunquam in posterum neque fœdus neque amicitiam, ne alter alteri noceret, qualicunque modo omisso. »

Sed, mortuo Henrico IV, regina, ut facile intelligitur, non omnia quæ de futuro bello maritus agitabat, potuerat ipsa perficere; at saltem juratas amicitias servare potuisset. Primo quidem non repugnare societati quæ cum Sabaudia inita erat visa est, et eos audire dubitavit qui ei ut in Hispaniæ sinum confugeret suadebant. Sed brevi ad hanc opinionem inclinata est se non alias certius meliusque auxilium adversus grassantes principes et domesticam pacem turbantes inventuram.

Minis enim ac terroribus Maria Medicea obnoxia fuerat. Tum decrevit unam ex filiis hispano principi collocare aliam autem sabauda. Quod vero hispana curia iniquissimo animo ferebat, quippe quæ omnia matrimonii cum Sabaudia initia omitti et fœdus omne disrumpi

quæreret ; Mariam autem Mediceam paratam et plus æquo docilem invenit.

Tum Sabaudus, Hispanorum minis perterritus, humiliores jam sensus erga Philippum regem affectat, sed ea mente ut Galliam male sibi fidelem aggrediatur et ideo sociam cum Gallis Genevam armis appetit. Ita non jam de amicitia sed de bello agitur. Regina enim Sabaudum prohibet quin ultra Gresini pontem procedat et Varena legatus ad eum ut arma deponere velit mittitur. In eâ quidem legatione quæ egregie proficit exsequitur regina supremam hanc Henrici IV voluntatem qui nunquam vel cupidissimo Sabaudoduci Genevam condonare voluerat et nihil etiam in fœdere suo cum Sabaudia inscribi passus erat quod libertati illius urbis adversum videri posset. Post hæc tamen Sabaudus irato animo ultionem meditatur : insidias cum malevolis principibus struit ut domestica reginæ pericula machinetur.

Sed postremo regina, quum domi tum foris secunda, ruinam fœderis apud Brusolum pacti conficit, Diguierium mittendo qui Sabaudoducem matrimonia cum Hispanis nuntiet.

